

derivato : exturbetur ergo et ipse. Rursum acclamemus, quod devastata Jericho proclamavit Josue : *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et edificaverit civitatem Jericho*, Jos. VI. Quid enim improba Jericho, quæ lunam significat, nisi stultam bacchanalium solemnitatem repræsentat? Postquam ergo a Josue nostro excisa est, maledictus qui eam revocaverit.

VII. Sed quas ad extremum canemus illi exequias? Utique quas epuloni evangelico, magno Bacchi cultori decantatas legimus, Luc. XVI. Vigiliæ hæc fuerunt, quia *cum esset in tormentis, elevans oculos suos, vidit Abraham a longe*. Vultin audire primam earum lectionem? *Pater Abraham*, inquit epulo, *miserere mei et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Sed audiamus et responsorium. *Fili recordare*, respondit Abraham, *quia recepisti bona in vita tua et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris*, q. d. in vita habuisti bacchanalia, die *Fasnacht*, nunc autem habes esuralia, die *Fastnacht*. Audiamus secundam lectionem : *Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum*. Sed quid respondet Abraham : *Habent Moysen et prophetas ; audiant illos, nihil et hic impetratur*. Pergit igitur epulo ad tertiam lectionem. *Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, penitentiam agent*. At quid dicit responsorium tertium? *Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*. Ergone nostris exequiis nihil obtinemus? Nihil, nihil, nihil. Etenim *in his omnibus*, inquit Abraham ad inferos, *inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transire*.

VIII. Esto igitur hoc et Bacchi epitaphium : *Mortuus est et sepultus est in inferno*. Esto et illud Darii regis : *Potui et multum vinum potare*. Esto et illud Sardanapali :

Hæc habui, quæ edi, quæque exsatiata libido,
Hausit opes, et quæ quondam me cuncta beabant
Non sunt, sum cinis.

Ergo, auditores, huc oculos coniciamus, ad cinerem videlicet, in quem desinunt bacchantes, necnon in infernum, ubi sepeliuntur. Scimus ex Danielis libro, c. XIV. coram Bel idolo appositas fuisse epulas, quas persuasus erat rex ab idolo devoratas, cum vorarentur a sacrificulis, qui tandem cinere in pavimento strato, a Daniele deprehensi sunt. Quamdiu ergo rex ad epulas

aspexit, tamdiu deceptus fuit, putans eas ab idolo absumptas, adeoque Belum vere deum esse. Sed ubi oculos convertit in pavimentum cinere stratum, ibi deprehendit Belum nihi esse ejusque sacerdotes sibi imposuisse. Ergo et nos quoque non attendamus ad delicias et mensas Bacchi et bacchantium; sed potius ad cinerem, infamiam, gehennam, in quam desinunt; indeque eruditi detestemur bacchanalia; et quemadmodum in hodierno evangelio, *omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo* : ita nos postquam vidimus abominandum Bacchi funus, demus laudem Deo, quia magnus Pan mortuus est.

CONCIO VI.

STULTI VITUPERANDI.

I. Qui sub larvis liberius peccant. — II. Qui facile nimis seducuntur. — III. Qui injurias injuriis compensant. — IV. Qui penitentiam differunt. — V. Qui bene operantur sed imantur. — VI. Qui hoc tempore insaniunt et exorbitant.

THEMA.

Non intelligebant, quæ dicebantur. Luc. XVIII.

Inter omnia festa, quæ in toto calendario reperiuntur totoque anno peraguntur, nullum mundo solemnius, nullum acceptius quam bacchanalia seu feriæ stultorum : ita ut si illæ prohibeantur aut casu unus tantum dies ei subtrahatur per incidens jejunium, omnes reclamant et lamententur. Denique, ita celebre est hoc testum, ut se homines non putarent, qui his diebus solito liberius ludis, jocis, cibo potuique non indulgerent. Quod cum ita sit, mirandum est, quod Ecclesia in suis fastis non meminerit hujus festi. Certe nos clerici in breviario nostro omnia festa recolimus, de bacchanaliis solis nihil invenimus. Quid igitur causæ? Dicam opinionem meam; id enim fieri puto, quia contra bacchanalia reclamant et protestatur apostolus ad Ephes. V. dicens : *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*. Quo loco videtur mihi apostolus in spiritu prævidisse bacchanalia nostra. Quinam enim quæso, dies illi mali, quibus caute ambulandum? Quodnam illud tempus captivum, quod dicitur redimendum? Sanctus Remigius in eum locum ait : *Sicut dicitur mala esse domus quæ malos habitatores habet : ita dicuntur dies mali, in quibus mala fiunt a malis hominibus*. Quod si ita est, quis non videt dies bacchanaliorum dies illos malos esse? Qui enim per annum dies, quibus

tanta fiunt mala, a malis utique hominibus, atque dies isti? Hoc ipsum etiam tempus illud captivum est quod redimi jubet apostolus, captivum inquam, hoc est, servituti diabolicæ et vitiiis mancipatum : tempus enim hoc adeo videtur luxui et vitiiis addictum ac subjectum, ut vix alicui liceat in illo bonum ac pium esse : multi sibi persuadeant licere nunc omnibus omnia. Tempus dico illud, quod a Deo nobis datum est, ut nobis operibus tribuatur, tribuitur dæmoni et quasi compedibus vinctum ipsi ejusque operibus, luxui, ebrietati, lusui, choreis, libidini, rixæ, insanix dicatur. O miserum tempus! O dies malos! Quid igitur faciendum hoc tempore suadet apostolus : *Videte quomodo caute ambuletis* (quia scilicet tempus hoc periculosum) *non quasi insipientes, sed ut sapientes*. Nonne his verbis bacchanalia manifeste interdicit? Denique *redimentes tempus*, sive occasionem, ut est in Græco, qu. d. cum hoc tempus sit optima occasio bene mendi, arripite occasionem, ne patiamini instar stultorum eam vobis elabi. *Redimite tempus*, id est, *vestrum illud facite*, ut ait Remigius, v. g. *alii vendunt illud, mala operando ad malum suum : vos redimite illud vobis talia opera faciendo, pro quibus remunerationem capiat*. Sed vereor ne frustra clamet apostolus et fiat illi, quemadmodum Christo in hodierno evangelio de passione sua loquenti : non enim intelligebatur : *Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant, quæ dicebantur*; potius tunc honores appetebant, ut est apud Luc. c. XVIII. Non vult enim hoc tempore mundus intelligere : quia videtur hoc ipsum etiam tempus esse de quo apost. II. Tim. IV. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt*. Scio me si toto hoc triduo continuo clamarem et bacchanalia dissuaderem, surdis fabulam dicturum. Igitur mihi non tam cum larvatis illis, qui discunt, stultis quique simulant stultitias, in præsentem lis erit, quam cum illis, qui absque larvis vere stulti sunt in perniciem animæ suæ et quidem plerumque hoc tempore, quorum etiam, juxta Sapientem infinitus est numerus; sed nos paucos tantum videbimus.

I. Tales sunt qui dum larvati et personati sunt, liberius peccant, ut sui non agnoscantur. Hi enim non advertunt se insanire coram oculis Dei et angelorum, imo et acodæmonum, quos vel solos vereri debent. Stulti et infantes si manibus tegant facies suas, putant se a nemine videri. Et stultus ille struthiocamelus cum altior sit equite, caput tamen sub frutice condens totum se latere existimat, teste Pierio, l. XXV. Plin. l. X. c. I. Ad hunc modum plurimi hoc tempore

exterminant facies suas et ab hominibus abscondunt, ac quasi jam a Deo nesciantur, insanunt, lasciviunt, gesticulantur, decipiunt, oculis ad lasciviam fræna laxant, etc. interim ad oculum Dei sibi continuo invigilantem non attendunt : *Quis me videt?* inquit Eccles. XXIII. *Tenebræ circumdant me et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me : quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit a se timorem Dei hujusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum. Et non cognovit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, etc.* Hoc si cogitarent illi, quomodo non confunderentur et stultitiæ se arguerent? Quidam tempore bacchanalium insanire volens pietorem constituit, qui faciem ejus pingeret, quo ignotus et personatus liberius nugaretur. Pictor aquis tantum coloratis, qui colorem nullum exprimerent, eum illinebat potius quam pingebat. Unde is liberrime undique discurrere et bacchari cœpit, putans se ignotum, cum tamen ab omnibus nosceretur : atque ita delusus fuit. Non dissimile evenit iis, qui sub larvis turpia agunt : latere enim dum se putant ideoque liberius delinquant, videntur a Deo et angelis et iridentur a dæmonibus. Annon satis foret, pasquillum contra principem affigere, principe id vidente, licet nemo alius videret? Ejusmodi factum erat Adami et Evæ : qui postquam in Deum peccassent, quasi absentem, mox personati incedebant, abscondendo se a Deo; sed ab ipso in lucem protracti sunt : *Adam ubi es?* quasi diceret : *Putasne te latere?* Prodi, depone larvam. Nemo hominum aderat qui peccatum eorum videre posset; quia nemo adhuc in mundo, præter ipsos, erat : et tamen profiti sunt, quia a Deo visi. Non potuit Totilæ regis spatharius regia sub larva eomitatu et vestitu, latere S. Benedictum, quin illico audiret : *Depone, fili, quod geris, nam tuum non est*. Et vos, o insani, latere voleteis Deum?

II. Qui facile seduci se patiuntur, (quod sæpe fit hoc tempore) et in gravia peccata abripi, modica proposita illecebra, quod certe non sapientum sed stultorum est. Ejusmodi stulta avis cephus est, teste Pierio, l. XXIII. quæ cum spumam marinam mire appetat, ea sibi porrecta ad manum accedit et capitur. Nonne talis stultus Esau fuit, Gen. XXV. qui pro pulmento lenticulæ jus primogenituræ seu hæreditatem primariam vendidit? Et o quot ei similes, qui pro vanissima voluptatis aut lucri exigui illecebra animam diabolo vendunt, unaque Dei gratiam ac jus ad æternam hæreditatem, quod Christus sanguine

suo nobis promeruit, et in baptismo dedit! Quid enim sunt vani honores, breves voluptates, modicum lucrum, brevis vindicta, una inebriatio, nisi spuma maris et exigua lenticula? Unde Ezech. XIII. dicitur: *Violabant me propter pugillum hordei et fragmen panis*. Novi stultum, qui unico filo stramineo passus est se ligari ad columnam et trahi quo velles, non aliter ac si fune vel catena constrictus esset. Non dissimiliter plurimi hoc præsertim tempore levissima trahuntur illecebra ad macellum diaboli ad instar oviularum, stultissimarum pecudum, quæ qua timere ingredi, unam cornu raptam sequuntur, ut ait Plin. l. VIII. c. XLIX. Audi Sapientiam, Prov. VII. *Irretivit eum* (juvenem scilicet mulier) *multis sermonibus et blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam et quasi agnus lascivens et ignorans, quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus*. Quot hoc tempore ejusmodi boves et oves ad macellum dæmonis eunt, de quibus merito dicit David, Psal. XLVIII. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos!* Bene eandem rem declarat Didacus Stella in Lucæ c. XI. « Mirandum quidem est, inquit, quam insane et quanta amentia homo ipse audeat Deum offendere, cum videat se amittere et perdere ipsum Deum qui omne bonum et summum est, et in ipso omnia alia bona, quæ intelligi et cogitari possunt. Nam si homo aliquis ab Indis ad nos veniret et statim cum portum attigerit, omnem rem, aurum et argentum, quæ tantis laboribus sibi comparavit, ludo exponat et unica tantum sponse totius substantiæ jacturam fecerit, nonne hunc amentem et insanum et omni prorsus earentem intellectu diceret? Quæ igitur obsecro major insania aut amentia esse potest, quam brevi quadam voluptate ad triduum peritura, omnis lucri et tantorum meritorum, quæ tot laboribus comparasti, jacturam facere? Aspice igitur si libet, o peccator; convincam enim te amentiosem et insanosem esse, quam ille, qui ab Indis tractus divitem suppellectilem et omnem rem brevi ludo exposuit et amisit. Nam ille in promptu remedium sibi habet paratissimum; potest enim ad Indos iterum transire et sibi majora alia comparare. At vero peccator constitutus in mortali crimine eo status et miseriæ devenit, ut nullum possit opus facere, quod vita æterna sit dignum, nec ipsa gratia Dei. »

III. Qui injurias remittere nesciunt, sed injurias repellere conantur. Hi enim insaniam curare insaniam volunt, et perinde agunt ac si asinum calcitrantem ipsi recalcitrarent, ut dicit Soerates, apud Sabell. l. V. *Quidam fatuatus, ut refert Pon-*

*tanus in Afficis bellariis, syntag. I. hist. LVII. morem hunc habebat, quoties cuipiam in via occurreret, ut eum scipione quem pro clava gerebat, leviter ac citra dolorem tangeret, atque ita ridens præteriret. Evenit ut alius quidam de fatuorum natione eadem præditus consuetudine in illam urbem adveniret. Huic Urbanus fit obvius: eum contingit, ut solebat. Peregrinus ut ipse quoque solebat, idem facit. Repetit tactum prior, repetit et posterior, etiam tertium et quartum et quintum, et ultra, et semper quidem validius, dum neuter prius a verberatione cessandum arbitratur. Denique, plagis incutiendis ambo delassati, tuberibus pleni, simul in publico pro mortuis jacent. Exinde obvios pulsare abstinerunt, declinantes de via, si quando in se incidere: monebatque præsentem uterque de cavendo altero, quod esset fatuus et feriret obvios. Hactenus Pont. Quis hic non videt horum similes esse, qui lenissimis rebus offensi ad pacem et concordiam componere se non possunt, sed jurgia vertunt in convicia, convicia in verbera et neuter alteri cedere volunt? Mentiris, inquit unus: Mentiris ipse, ait alter. Tu es nequam, inquit ille. Tu trifurciter, iste. Cædit alter, cædit et iste: et ita insani, dum neuter sibi temperare potest, quia neuter sapit, mutuis se verberibus conficiunt. Hocine non est velle ignem ligare paleis, ut quidem sanctus ait, quod quis nisi stultus facit? Bene Prov. XXVI. dicitur: *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*. Sed ogganunt plerique dedecus esse, non se defendere, non remitti verbera verberibus: *Sinite illos: cæci sunt et duces cæcorum*, Matth. XV. Deinde, isti sibi ipsis multo majus damnum inferunt quam ei, cui nocere volunt; incidunt enim in culpam, dum a se penam, quæ sibi irrogatur, volunt repellere, et perinde agunt, ac si quis luto a quopiam paululum aspersus, cloacam intraret et per medium lutum incederet, quo eundem illum vicissim aspergeret: quis hoc nisi stultus faceret? Novi ejusmodi fatuum, qui injuria quapiam affectus, si cursu reum assequi nequisset, ipse sibi unguibus faciem dilacerabat. Quid aliud faciunt, qui conviciis et verberibus ultionem sumunt? Sibi enim conscientiam faciem misere deformant, alteri nihil vel levissime nocent. Unde Ps. CXVII. de inimicis ait David: *Circumdederunt me sicut apes*, quia ut exponit Haymon, apes postquam aculeum alicui infixerint, aculeum perdunt aut frangunt, unde paulo post moriuntur, vel saltem inutiles fiunt; plaga autem inflicta modico luto curatur: ita et qui ultionem sumunt, sibi plurimum nocent, et gratiam vitam eripiunt, cum alteri nihil aut parum noceant.*

IV. Qui pœnitentiam de die in diem differunt, vel ad certum tempus, interim vero liberaliter peccant. Horum stultitiam delineabat angelus B. Arsenio, apud Raderum, II. p. virid. c. IV. dicens: « Ades dum et ostendam tibi quomodo se habeant opera hominum. Quo exeunte de cella, ostendit ei Æthiopem ligna scindentem, quibus alligavit quidem onus non facile attollendum humeris: cum autem conaretur tollere, non potuit propter onus. Is vero alia quoque adjiciebat, et fascem suum angebat, quo adhuc graviori et ad portandum difficiliore facto, nova ligna cædebat, et ad eundem cumulum addebat ita ut eum vix de terra paululum levare posset. Et talis aiebat angelus est mundi stultitia. Qui enim ligna scindit et onus conficit, is est, qui multis quidem gravatur peccatis pro eo autem quod ea deberet resecare pœnitentia, ostenditur alia potius addere. » Ita Jethro Moysi volenti omnia negotia totius populi quotidie magis crescentis solus expedit, ait: *Stulto labore consumeris: ultra vires tuas est negotium*, Exod. XVIII.

Eodem pertinent, qui in peccato mortali audent vivere et ire cubitum. Dictum D. Thomæ Aquinatis erat (ut refertur in histor. ord. S. Dom. pag. 1. libro III. cap. XXXVII.) non posse capere, quomodo possibile esset, hominem in peccato lethali constitutum ridere, aut voluptatem quamcumque ex re ulla posse capere; et merito sentiebat: quando talis certa fide credit, quod si in eo moreretur, æternæ mortis et flammæ esset nutrimentum. Viderat Damocles ille fulgentem cervicibus suis imminere gladium in mediis epulis et tenuissima seta pendentem et ciborum omnium apparatus magnificentissimum mens contempserat: eequid igitur de illo futurum putamus, qui ex peccato non presentem modo, sed et futuram illam sempiternam vitam credit se amissurum; quæ quidem ex filo simili pendet. Dixerat insignis quidam Dei servus, videri sibi, in christiana republica debere cuivis duos carceres sufficere, alterum sacræ inquisitionis, stultorum alterum; nam aut credit quis, superesse post hanc vitam infernum, improbis destinatum, et in peccato ex hac vita cedentibus; aut non credit. Si non credit, deducatur igitur ad inquisitionem tamquam hæreticus; si non credit et nihilominus e statu peccati exire non vult, pertrahatur ergo ad carcerem stultorum; major enim hac clementia nec esse potest, nec cogitari; quidni igitur harum similitumque rerum meditatio, potissimum sit frænum, hominem in officio continendi? Et propterea tantopere laborat dæmon ut hoc præsidium e manibus mortalium excutiat, Rodriquez, part. I. exerc. tr. V.

Sed proponunt fere omnes se paulo post circa pascha pœnitentiam acturos. Hi nova laborant stultitia; promittunt enim sibi dies et menses, qui nequaquam in ipsorum, sed in Dei tantum potestate sunt: et perinde agunt ac stultus ille Thrasylaus apud Athenæum, libro XII. qui naves omnes in Piræum appulas, suas esse credens, eas et annotabat et emittebat administrabatque. Si quæ etiam recenter appulissent, magno eas gaudio perinde ac verus earum dominus excipiebat. Quod vero, aliquas perire contingeret, nulla inde cura afficiebatur. Hunc imitantur, quotquot sibi plures annos, menses, dies ad pœnitendum promittunt, sibi enim stulte persuadent, quasi tempora et momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, ut ait Christus, Act. I. norint et in sua potestate habeant, quemadmodum fecit dives ille Lucæ XII. qui dicebat animæ suæ: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare*. Sed quid dixit illi Deus? *Stulte, hac nocte animum tuum repetent a te, quæ autem parasti cujus erunt? Annon multoties hoc ipsum etiam fieri videmus? Quot enim in his feriis sive crapula sive gladio repente perierunt? Et si mors non advenit improvisa, advenit tamen infirmitas ut plurimum improvisa. Et quid tu boni facies, quomodo te penitebit in infirmitate, ubi initio nihil de morte vis audire, morbo autem ingravescente et te perclinante, cum voles de anima tua disponere, non poteris præ angustiis? Unde Ecclesiastes, capite VII. tempus illud vocat non tuum, dicens: *Noli esse stultus ne moriaris in tempore non tuo*, quasi dicat: Non poteris tunc uti tempore illo juxta tuam voluntatem. Dei est illud tempus, quia tunc in ejus vinculis es. Unde quemadmodum reus dum tenetur in vinculis, non permittitur disponere sua sicut vult, dare eleemosynas, peregrinationes suscipere, audire missam, etc. quia non est id tempus in ejus potestate: proinde sicut stulte faceret, qui bona opera differt in carcerem: ita qui ad ægritudinem.*

V. Qui bona quidem operantur, sed frustraneo labore vel quia ob vanam gloriam operantur, vel quia non deserunt affectum peccandi, vel etiam peccata ipsa non confitentur. Horum stultitiam demonstrabat angelus Arsenio, loco supradicto in homine, qui de lacu aquam hauriens mittebat illam in canalem perforatum. Qui enim bona agit, jejunat, dat eleemosynas, orat, etc. interim tamen ad vanam gloriam respicit, vel affectum peccati retinet, fructum bonorum operum perdit, juxta id Agg. I. *Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum*. De stulto quodam Achæo nomine, scribit Eustachius,

Odys. X. quod cum is ollam fictilem dormiturus capiti supposuisset pulvinaris loco, et duram nimis expertus esset, plumis eam replevit, quo mollior foret culcitra. Sed quemadmodum miser iste in vanum laboravit: ita faciunt, qui cum ob peccatorum remorsum dormire in culcitra conscientiae nequeant, plumis orationum, elemosynarum et jejuniorum eam replere et emollire volunt: sed non fit his plumis mollior et quietior conscientia, nisi duritiam peccati contriveris per poenitentiam, sicut nec sanari potest manus, si emplastrum pedi adhibeas. Unde collector speculi refert exemplum de dæmone, qui visus est in templo irridere et subsannare mulierem quamdam ante altare prostratam et lacrymis indulgentem: eo quod speraret lacrymis delere certum aliquod peccatum, quod confessione nolebat.

VI. Agmen claudunt omnes illi, qui hoc tempore nesciunt esse læti, nisi insaniant et modestiæ limites enormiter excedunt, ac proinde non jam homines, sed bestiae aut prorsus insani et amentes videntur aut ad instar illius Pisandri amentis qui ab anima sua destitutum se putabat, cui ne occurreret, impense formidabat. Quidam enim adeo insaniant, ut mentem ab eis fugisse putes. Alii quasi furiosi et cestro perciti undique discurrunt, quemadmodum de Præti filiabus refert Nicolaus Leon. I. II. c. XVIII. quæ vacas sese putantes, impleverunt falsis mugitibus agros. Alii delicati nimis, qui cum stultorum personas induant, vexari tamen et haberi stulti nolunt, modica irrisione aut verbo ridiculo taeti excandescunt, similes iis stultis, qui teste Galeno et Avicenna, se vasa fictilia esse credebant, et deirco hominum attactum, ne confringerentur, sollicitè cavebant. Alii superbi et arrogantes, qui putant omnes alios sibi cedere debere et soli ipsi plateas occupare ac domos intrare volunt, similes illi stulto, qui putabat se nasum habere longissimum instar perticæ, unde ingredientiæ vel paulo propius ad se accedentes clamoribus creabat, monens ne in nasum ipsius impingerent. Alii denique clamant in plateis quasi a diabolo obsessi, similes illi insano, qui gallum conspicatus priusquam caneret, brachia motabat et galli cantum edebat. Quæ omnia a sapientibus irridentur, Deum vero non immerito ad iracundiam provocant. Ad extremum igitur eum apostolo moneo ad Phil. IV. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus; Dominus enim prope est.*

CONCIO VII.

STULTI LAUDE DIGNI.

I. Qui sinceræ mentis sunt. — II. Qui se ulcisci nesciunt. — III. Qui prompti ad obediendum. — IV. Qui timoratæ conscientiæ sunt. — V. Qui nesciri in mundo amant. — VI. Qui se a mundi vita segregant.

THEMA.

Qui præbiant increpabant eum. Luc. XVIII.

Fateri debeo vetutissimum omnium festorum esse festum bacchanalium. Ea siquidem originem suam ducunt a gentilibus Romanis, qui multo ante Christi nativitatem bacchanalia celebrabant, in quibus usque ad amentiam saltitabant et furebant: et præterea ferias stultorum hoc mense februario, ut auctor est Festus, apud Rosinum, in antiquit. Romanor. ubi stulti et ignorantes Romulo sacra sua faciebant, farragines coquendo. Tales autem sunt et hæc nostræ feriæ: ac qui eas nescit, in fastis rusticianis quærat et stultum ibi depictum reperient. Quod si igitur tam antiquum et receptum est hoc festum, quid est quod audio interdictum esse? Ego sane tametsi magistratui sæculari nihil præscriptum aut præjudicatum volo, prohibere minime possum aut debeo, ferias stultorum. Siquidem apostolus, I. Cor. III. stultitiam non modo non interdicit, sed etiam suadet ac præcipit. Quid enim ait? *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Ecce quid ultra requirimus? Prohibuit nobis ante annum (in præcedente concione) idem apostolus stultitiam perniciosam quemadmodum audivimus: nunc vero nobis commendat stultitiam salutarem et hanc ego cuicumque non modo his diebus, sed etiam toto anno colendam, non permitto solum, sed suadeo et consulo: *Optoque apud Deum, et in modico et in magno, omnes, qui audiunt hodie, fieri tales, quemadmodum idem apostolus ad Agrippam dixit, Actor. XXVI. Et tametsi mundus ejusmodi stultos increpat, quemadmodum et illi, qui præbiant Christum, cæcum clamantem, nihil tamen moveamur, sed cum cæco tanto magis pergamus, stultitiam hanc colendo. Quinam vere hujusmodi stulti? Videamus.*

I. Tales sunt, qui fallere, simulare, mentiri, et veritatem tegere vel palliare nesciunt, sed pure, candide et aperte agunt: qui non aliud in ore, aliud in corde gerunt, sed rem ut est proponunt, monstrant, vendunt, etc. Istos a mundo pro stultis haberi, innumeris exemplis patet. Producat aliquis equum suum in foro vendendum.

et aperiat ultro defectus illius et vitia, ac propterea minus se pretium exigere pro eo velle dicat, annon iste actutum audiet a proximo quoque: Stultus es tu, qui occulta equi tui vitia prodis, poteras enim majori vendere pretio si ea tacuisses? Reperit quis rem pretiosam in via, quare curat statim id promulgari de cancellis et undique inquiri, ut domino restituat, statim et ipse audiet: Stultescis tu, qui rem istam proclamas: nam si tacuisses, ea tibi mansisset. Vendidit alius equum sexaginta florenis? Emptor ei per errorem numerat septuaginta vel dedit pecunias minori pretio, quam valeant, per ignorantiam, etc. Hoc advertit venditor cum domi pecuniam rursus numerat: superfluum igitur quod accepit, decem scilicet florenos restituit emptori: et ob id statim proclamatur a mundo stultus. Sed stultitia ista, sapientia est apud Deum teste apostolo, opposita vero illi astutia seu mundi sapientia, stultitia est apud Deum. I. Corinth. V. ait: *Quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis et fraudatis et hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare.* Nam revera qui ita fallit proximum, eo ipso longe magis seipsum decipit: contra qui sincere agit, omnem deceptionem evadit, ac proinde hic vere sapiens, ille stultus appellari debet. Si quis enim gloriaretur se decepisse confessarium suum, eo quod rimentanti conscientiam ambigue responderit, et rei veritatem celaverit: nonne hic seipsum decipit potius quam confessarium? Nonne lethale vulnus abscondit medico? Nonne idem agit, quod stultus ille viator, qui cum in hospitio ovum fetum ac foetidum devorasset, gloriabatur postea et gaudebat, quod cauponi imposuerit; cui pullum gallinæ a se devoratum in ovo non solvisset? Sapiens contra est eorum stultitia, qui nesciunt fraudem facere; hoc ipso enim se ab errore et deceptione liberant, salutem suam in tuto collocant. Cujusmodi exemplum refert S. Chrysost. hom. XXX. ad pop. scribens: «Erat quodam in loco thesaurus absconditus, cumque id loci dominus nesciret, alii locum venundedit. Emptor cum foderet ut in agrum mutaretur, excoleretque reperit thesaurum, convenit venditorem, offertque ipsi thesaurum, locum enim se dicebat, non thesaurum emisse; possessor respuit donum, dicens: Vendidi locum, nec jus in eum habeo amplius. Pium hocce erat certamen.» Sane uterque horum nostro præsertim tempore stultus judicaretur: sed interim uterque coram Deo sapiens erat, quia uterque malebat temporali commodo carere, quam vel periculum tantum spiritualis damni subire. Simile huic certamen legimus inter Abraham et

regem Ephron, Gen. XXIII. Volebat Abraham ab Ephron emere speluncam in sepulturam Saræ. Noluit Ephron vendere, sed voluit donare. At excipit rursus Abraham, nec nisi pecunia emptam acceptare vult. Audiamus aliud a S. Aug. in l. L. hom. IX. et de verbis apost. serm. XXI. «Dicam, inquit, quid fecerit quidam pauperrimus, eo tempore quo S. Ambrosius Mediolani erat episcopus, ubi tunc præsens erat etiam Augustinus nondum episcopus. Tam pauper erat ille, de quo loquimur, ut proscholasticus esset grammatici, sed plane verus et perfectus Christianus: sed melior fuit ille, qui ad velum stabat, quam ille, qui in cathedra sedebat? Pauper ergo iste invenit sacculum ducentorum solidorum, memor tamen divinæ legis proposuit petacium publicæ: Qui solidos perdidit, veniat ad illum locum, ut quærat illum hominem. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, invento et lecto petacio, venit ad hominem. Et ne forte alienum quæreret, sed suum, quæsivit signa, interrogavit sacculi qualitatem, solidorum etiam et numerum. Cum omnia fideliter etiam ille respondisset, reddidit quod invenerat. Ille repletus gaudio et quærens vicem rependere, tamquam decimas obtulit illi solidos viginti. Noluit accipere. Obtulit decem. Noluit accipere. Saltem rogavit, ut vel quinque acciperet. Noluit. Ille stomachans, projecit sacculum: Nihil perdidit, ait: si non vis a me aliquid accipere, nec ego aliquid perdidit. Quale certamen, fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus! Theatrum mundus, spectator Deus. Victus ille, quod offerebatur, accepit et continuo totum pauperibus erogavit. Unum solidum in domum suam non misit. Considerate, fratres, tam gloriosum exemplum et tam admirabile factum.» Huc pertinent Germani illi, qui cum Romæ reperissent marsupium nummis bene sartum, ducti conscientia loculos ad Panigarolam celeberrimum ecclesiasten detulerunt. Qui acceptis loculis in cathedram ascendit et in Germanorum laudes facundissime digressus palam dixit: «Ecce hos loculos plenos nummis attulerunt Germani, ut quæretur dominus. Quis vestrum simile quid unquam fecisset? Quis inventam hanc pecuniam sibi statim non vindicasset tacitusque reservasset? Longe alia mens Germanis est, ut videtur, qui ob tam præclare factum omni commendatione dignissimi sunt.» Utinam hæc præstantissimi concionatoris laus non illis solis, sed omnibus Germanis vere tribui posset. Refert P. Grelserus, in posthumis rerum variarum. Isti, auditores, isti sunt stulti mundo, sapientes autem Deo.

II. Qui injurias tolerant patienter et dissimu-